

MONITUM.

In hac quarta editione, tertiæ prorsus consentanea, juxta ultimam Missalis in Alma Urbe impressi editionem, Tractui Missæ *Vultum tuum* pro Virgine tantum, pag. LI, hæc verba præposuimus : *Quia concupivit Rex speciem tuam.* Pagina vero LIV, in Tractu Missæ *Cognovi*, dempta sunt verba ibidem superflua : *pro cujus amore sanguinem tuum fudisti.*

PRÆFATIO.

In procæmio quod VESPERALI nostro præfixum est, generatim diximus, quantum satis est, de veterum librorum cantualium depravatione, deque ratione qua cantus ecclesiasticus ad puriorem stylum reduci possit. Lectores ibidem brevi monuimus, quæ fuerit præsertim in emendando Antiphonali cura, quis labor et scopus editorum. Jam superest ut quidquid in paranda nova editione hujusce GRADUALIS præstitum est, in hac præfatione quam brevissime indicetur.

GRADUALE ROMANUM de Tempore et de Sanctis, quale in præsentì volumine continetur, expressimus ex celeberrima editione, quam jussu Pauli V summi Pontificis typis Medicæis Romæ publicam in lucem emisit Rogerius Giovannelli, annis 1614 et 1615, juxta ritum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ. Hic vir quantum laboris ad emendationem Gradualis per annos omnino septem adhibuerit, memorant quotquot de historia cantus choralis diligenter scripserunt.

Hoc tamen loco monitum volumus unumquemque, editionem typographiæ Medicæorum non ita perfectam expletamque omnibus suis numeris nobis videri, ut plane nihil omnium in ea reprehendendum sit. Contra